

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**L.ANNAEI || SENECAE || Tragoediae.|| EDITAE  
EMENDA-||TIORES STVDIO || Georgii Fabricii ||  
Chemnicensis.|| (LVCTATII GRAM-||MATICI ANTIQVI, IN ||  
SENECAE TRAGOEDIAS || Periochae.||)**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Leipzig, [1566]**

Widmungsbrief

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-694](#)

62549  
ILLVSTRIS DVCIS  
AC DOMINI D. VVOLF-  
GANGI PALATINI RHENI,  
Ducis Bauariæ, Comitis Veldentij,  
Filijs, D. D. Othoni Hen-  
rico, & Friderico  
Fratribus,

S. D.

GEORGIVS FABRICIVS  
CHEMNICENSIS.

CV M è scriptis veterum vniuersis grata  
& salutaris capiatur vtilitas: tum è le-  
ctione Tragicorum præcipua atq; singula-  
ris. nam de viris summis, eorumq; factis  
magnis & inuisitatis agens. non minus eos,  
qui potentia eminent, et si eos potissimum,  
quam quemuis è vulgo de varietate casu-  
um, & vitæ hominis multiplici calamitate  
informat. Quod loco positum excuso est,  
in oculos plurimorum incurrit, & quod vi-  
ris metuendum principibus, idem personis  
vilioribus potest accidere. quod autem ac-  
cidit omnibus, id mente & cogitatione de-  
bet præcipi, vt aut auertatur periculis alio-  
rum, aut mitigetur ratione & constantia.  
Miseriarum in vita verissimè causa prima

A 2 est

E P I S T O L A.

est, in ignoratione contemptive Dei, pietatis neglectio, & suarum virium aut excellentiæ nimia & insolens fiducia, quæ nulli vñquam vel illustrium Heroum, vel regum clarissimorum fuit impunis. Accedit ad hanc imperiorum cupiditas vehemens, quæ ita regnat in animis, vt nulla plures ab officio deduxerit, pñne inuictos ab alijs vicijs & delictis homines. Extrema causa, qua pudor violatur & integritas, turpissima est, & habet belluimum quiddam in mentibus abiectis & deprauatis ignavia, otio, for tuna. In Heraclidarum, Aeacidarum & Pelopidarum familijs videre hoc licet. quæ vt in Græcia celeberrimæ, ita præ cæteris calamitosæ fuerunt. Heraclidas oppressit fastus & arrogantia, qua dijs voluerunt & esse & haberi æquales: inde superba illa vox est, licet à muliere profecta,

*Quicquid negabat Iuppiter, dabit Hercules.*

E gente Aeacidarum, quæ rerum præclarè gestarum excellit magnitudine, qui secundum naturam, morte videlicet placida interierit, inuenio neminem, quia cedere de dignitate & iure voluerunt nemini. Inter Pelopidas tanta turpitudinum confusio, tanta cædium immanitas fuit, vt si vltio diuina nulla sit, ipsi se inuicem ira & furij vlti videantur. nam quod poëta sapiens canit,

*Ire*

L A.  
D E D I C A T O R I A.

*Irae Thyesten exitio graui  
Strauere.*

non de solo Thyeste, sed de tota illa familia flagitijs obruta dici potest. Verum non aulæ tantum & domicilia regum, facinoribus atque sceleribus olim nomen infame habuerunt: sed in vita etiam communis obijciuntur facta tristia & horrenda, & in multitudinis moribus pessimis, audiuntur & cernuntur ferè cotidie. quod enim unquam seculum tam florens, quæ tam sancta ciuitas, quod regnum tam bene constitutum fuit, in quo exempla flagiorum ingentium non extiterunt? Ea nosse, vtile est: vitare pulchrum, salubre, non imitari: punire rectum: abominari omni ratione omnibusq; sensibus præclarissimum. Itaque voluerunt veteres illi sapientes, scelerum poenas extare, & scelerorum exitus miserabiles, simulq; obijcere oculis familiarum, vrbium, regnorum extirpationes & interitum, ne similia alij auderent, & perpetrare nefaria omnes homines horrificerent. Idem existimabant à magistris mutis, ea quæ odiosa essent & acerba, accipi & admitti facilius, quam si à familiaribus & propinquis dicerentur: item si factis & euentibus peregrinis aut à memoria suorum temporum remotis, suos reges aut

A 3                   princi-

## E P I S T O L A.

principes docerent, videbant esse minus periculorum. eam ob rem eligebant nobilissimorum quorumq; exempla, quasi magis conspicua, magisq; ad animos permouendos apta, quam si hominum vulgarium sumplissent: tum in scenam ea producebant, ne quem omnino laterent, etiam antiquitatis & humanitatis imperitum. Quam graue sit admonere potentem aliquem, docet Antisthenes, quem rex Macedo per Asiaciuitates ludibrii causa mutilatum circumduxit: quam non tutum obiurgare tyrannum, Zeno Eleates & Anaxarchus Abderites testantur, qui in cauis molaribus à Nearcho & Nicocreonte, sunt pilis saxeis contusi. Tales exitus etiamsi terreat, tamen doctrina virtutis & modestiae, & defensio veritatis, aut libertatis fiducia, deponenda non est: sine qua vita honesta aut laudabilis non potest existere. Quamobrem discriminis vitandi causa, & simul retinendae honestatis, hæc scripta Tragorum introducenda in domos illustres sunt, quæ plus splendoris & efficaciarum habent, quam vlla Philosophorum, repleta doctrinis & subtilitate, volumina. neque solùm in Tragoedia erudiuntur, qui cum potestate sunt, sed omnis generis docentur homines, si qui aut consilij indigent, in rebus dubijs

L A.  
DEDICATORIA.

dubijs : aut consolationem expetunt, in aduersis. Id Timoclis antiqui Comici non verbis quidem, sed verborum eius sententia expressa, etiam si prolixior paulò sit, libet exponere, ut habeat maiorem auctoritatem oratio. Is in hunc modum,

*Natura expositus est homo laboribus,  
Et multa acerba vita fert mortalium.  
H.ec ergo curarum inuenit solatia,  
Cum mens grauis molestiae obliuiscitur,  
Nacta ex aliorum aliquod leuamen casibus,  
Facta & minore cum pericolo doctior.  
Hoc experiri in Tragicis, si cui libet,  
Licet, nec is magnum laborem luserit.  
Qui pauper est, dum non minus quam Telephum  
Se egere sentit, fert malum quietius.  
Insanit aliquis ? Alcmaonem respicit.  
Cæcutit ? Oedipi leuat damno suum.  
Orbus quis est ? lamenta Niobes cogitat.  
Claudus ? reminiscitur Philoctetæ pedum.  
Habet Oeneum, quisquis senex est & miser.  
Quicunque, alijs quid accidat putauerit,  
Erit in suis alacrior periculis.*

Prodest igitur & viris maximis in quavis fortuna, & alijs itidem à cultu non abhorrentibus, scriptorum Tragicorū cognitio, & ad experientiā, & ad leuationem doloris, & ad multa vitæ munera. ideo & in theatris & in bibliothecis merito locum habent,

## E P I S T O L A

eoq; magis afficiunt atque rapiunt, quod  
præter ea quæ diximus, quasi natiuis plena-  
sint affectibus, quibus sæpenumero aut  
spectantium oculi, aut animi legentium,  
ita actione quadam speciosa, aut impetu  
acri permouentur, vt & irascantur cum  
Hercule, & cum Hippolyto doleant, & la-  
mententur cum Antigona. quod ijs, qui  
Tragicorum fuerint spectatores, accidisse,  
se recordari ait Protarchus ad Socratem,  
*ὅτι γὰρ τῆς ποίησεως δημόσεπέσατον καὶ φυχαγώγη-  
κότατον, ἡ τελεγραφία*, vt in Minoë Plato affir-  
mat. Tam aspectu horrida Thebarum euer-  
fio, aut incendium Troiæ vix fuerunt, vt in  
Tragœdia à captiuis mulierculis, & ab ex-  
ulibus afflictis referuntur, certè magis  
grandia miseráue esse non potuerunt. Nec  
tamen in hoc scripti genere omnia de histo-  
rijs desumpta sunt, vt Sphinx Epicharini,  
& Euripidis Cyclops: sed pleraq; ad veri-  
tatem accedunt, aut commodam ex natura  
interpretationem habent, aut monstris  
quibusdam tyrahnos & latrones effera-  
tos depingunt. Excitantur ipsi ab infe-  
ris mortui: excitantur interdum furiae:  
vt quod verbis nequit declarari, imagine  
torua aut præter naturam facta, mire re-  
præsentatur: quæ imago stans in orche-  
stra & admirationem & horrorem incutit.  
neque

A  
D E D I C A T O R I A.

neque enim fuit minima delectatio in illa conformatio-  
ne, quam ὁ οὐρανὸς Græci vocant,  
neq; non vim nullam ad res ipsas animis in-  
figendas habet, euidens & animosa descri-  
ptio. Diligens igitur & assiduus Tragœdia-  
rum lector, non vt histriones aut actores il-  
li veteres, vtrem musto repletum accipiet :  
aut (vt poëta canit)

*Vilem certabit ob hircum :*

Sed præclarum vitæ specimen , insignia sa-  
pientiæ præcepta , & varietatis fortunæ ex-  
empla comparabit. Relictus ex eorum scri-  
ptorum numero apud Latinos solus est, L.  
Annæus Seneca , qui etiamsi Actio aut Pa-  
cuvio , antiqua illa grauitate , neruisq; ac  
lacertis , & incorrupta sermonis prisci pu-  
ritate similis non sit : tamen in sententijs  
concinnandis , & expoliendis versibus mul-  
tùm elaborauit , captauitq; facilitatē quan-  
dam , naturæ non inconuenientem , & , vt  
mihi videtur , propemodum popularem , ac  
vt proprius dicam , Ouidianæ multis in lo-  
cis similem. Dicere solitus fuit Philippus  
Melanthon vir clarissimus , cùm de antiqui-  
oribus loqueretur , se vina vetustiora tan-  
quam rancidula minus probare: quæ tamen  
nonnullis videntur optima atque suauissi-  
ma. Sentit cum eo Lud. Viues , qui ideo  
Latinorum veterum libros non conserua-

A 5 . . . tos

## E P I S T O L A

tos scribit, quòd rudes atque impoliti fuerint: neque Fabius negat nitorem & summam manum in excolendis operibus, ipsis defuisse. Sed ut sensus in diuersis raro est idem, sic sententia discrepans plerunque animaduertitur. Idem in alijs sit artibus, ut in signis Canachi & Myronis: tabulis Polycleti & Xeuxidis: aliorum forma, propter rigiditatem, aliorum propter iucunditatem fuit comprobata. Inter athletas Milonis toros non habuit Entellus, sed non minus hic Segestanus illo Crotoniara nominatur. Quocirca nec antiquis horror & grauitas, nec recentioribus lenitas obest & elegantia, quo minus in precio sint, & ab omnibus legantur. Nostrum quidem Tragicum ita probauit Iohannes Regiomontanus, Mathematicus excellens, ut sua eum manu diligenter & venustè descriperit, quem librum apud Georgium Agricolam præclarum philosophum à me visum, adolescens contuli, & ex eodem locos plurimos deformatos iam in aliquam restitui dignitatem. Hic labor meus, ut sit studiosis acceptior, ad vos fratres principes, & Domini illustres, OTHO HENRICE, & FRI-  
DERICE, iam defertur, honoris & obseruantiae causa. nam cum in hac ætate viridi, auspicio optimi & sapientissimi Principis  
patris

D E D I C A T O R I A.

patris vestri, ingressi sitis iter virtutis, & maiorum amplissimorum laudibus gloriæ-  
que responsuri videamini: existimauit vos  
decere post pietatis Christianæ præceptio-  
nes, talia scripta euoluere, eruditio*n*is gra-  
tia. de quibus cùm multa inter familiares  
vestros viros honestos & peritos, & à Mar-  
tino Keplero, bono & erudit*o* homine:  
tum à fratrib*u*m vestrorum magistro, viro  
doctissimo Petro Agricola audiatis sæpissi-  
m*e*, plura ad vos scribere, non conuenit,  
neque est necesse. Tradit*u*ctor nobilis,  
& boni Imperatoris doctor Plutarchus,  
*χαλεπὸν θέτοντας*, γνώμην ἔχονταν πολλαὶ καὶ μοδσταῖς, ἀπε-  
χάρεντς, loquens de Athenis: idem de aula  
iusti & magnanimi Principis multò rectius  
dicitur, eius videlicet qui Christi doctri-  
nam nouit, & studia Ecclesiæ utilia euehit:  
quod de præstantissimo Heroë, patre ve-  
stro, clari viri prædicant, & vos insistere  
vestigijs laudatis affirmant. Ideo principi  
summo, patri vestro bene precantur verè  
pij & doct*u* homines, & qui cupidi litera-  
rum sunt, vobis literarum & pietatis pa-  
tronis, optant esse commendati. Va-

lete. E*st* ludo illustri Miseno, pr.

Cal. Sept. M. D. L X V.

LVCII